

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Exegetico-Critica Exhibens Vindicias
Integritatis S. Scriptvrae Qvo Ad Locvm Vexatissimvm 2.
Chron. XXII, 1.2 De Annis Achasiae**

Consentiente Venerando Theologorvm Ordine - A. D. X. Decembris A. R. S.
MDCCI ... Pro Loco Professionis Theologicae Ordinario Pvblice Defendet

**Lilienthal, Theodor Christoph Lilienthal, Theodor Christoph
Regiomonti, MDCCL**

VD18 90565665

Widmung

urn:nbn:de:gbv:45:1-15091

*AUGVSTISSIMO
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,*

**DOMINO
FRIDERICO II.**

REGI BORVSSORVM,

MARCHIONI BRANDENBURGICO, S. R. I.

ARCHI-CAMERARIO ET PRINCIPI

ELECTORI,

SVPREMO SILESIAE DVCI,

&c. &c. &c.

PATRIAEC PATRI,

REGI AC DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

Dissertationem hanc inauguralem cum ardentissimo
Regiae prosperitatis voto, humillime offert
Seruus subiectissimus

THEOD. CHRISTOPH. LILENTHAL.



(*) *Seder Olam Rabba*, Cap. XVII, p. 47. ed. MEYERI.

(**) *In Annot. ad Seder Olam*, Cap. XVII, p. 920. Ita et IOH. ZYTHOPOEVS in
nodo Gordio Script. S. enodato.

(***) *In harmonia Biblica ad 2. Reg. VIII*, 16. p. 491. Conf. etiam IOH. IAC.
RAMBACHII *Hermeneutica* S. p. 450. et *Annot. Vber. in Hagiograph. Tom III.*
p. 815. Cel. IOH. GOTTL. CARPLOVII *Introduct. ad libros Canon. Bibliorum V. T.*
Part. I. p. 266. &c.

§. XVI.

Ast ex ipsa, qua sententia haec nititur versione, simul conuellitur. Secundum illam non de familia Amri sermo est; sed de ipso Amraeo, cuius filia fuit Athalia, quiue annum egerit quadragessimum secundum, Achasia thronum occupante. Verum enim uero Amri tot annos non regnauit, quum longe antea diem obierit. Sed nec versio illa defendi potest. Quis enim facile ferret talem, quae in illa assumitur, vocum traiectionem, vbi arctissime coniuncta בָּנֵי־אַרְבָּעִים וְשְׁתִים שָׁנָה אַחֲרוֹן a se inuicem separantur; e contraria vero parte, ultimum versiculi vocabulum עֶמֶרְיָה cum primis eiusdem verbis בָּנֵי־אַרְבָּעִים וְשְׁתִים שָׁנָה coniungitur? Tam dura verborum Synchysis, vt vim infert textui sacro, ita nullibi in sacro Codice occurrit. Quae enim a IVNIO et TREMELLIO in notis ad h. l. adducuntur exempla, rem probandam non probant. Nam I. Sam. XX. 16. וּכְרָת יְהוָה נָתָן עַמְּבֵית דָּוָר וּבְקַשׁ יְהוָה מִרְ אַבְּיָה דָּוָר occurrit formula iuramenti, in qua communiter aliquid per ellipsis omitti solet, vel alia ratione, ob affectum loquentis, naturalis ordo verborum paulisper immutari. Neutrū de nostro loco, qui narrationem historicam exhibet, valet. Potest vero locus allegatus sine vlla verborum traiectione ita verti: *Sic pepigit Ionathan cum familia Dauidis foedus, ut requireret Iehovah de manu inimicorum Dauidis, scilicet, si quid mali contra Dauidem cogitarent, quod Ionathan ipsi indicare nollet.* Nec in secundo et tertio loco Esdr. X. 17. et Neh. XII. 22. Synchysis statuenda est. Ibi enim incepsum die primo mensis decimi negotium, exacto trimestri, absolutum dicitur die primo mensis primi. Hic vero eadem plane ratione vt in textu originali, verba consequuntur: *Leuitarum*, (vel Leuitas quod attinet, qui vixerunt) temporibus Eliaschibi, Ioiadabi, Iochananisque et Iadduhae, conscripta sunt capita paternarum familiarum, itemque Sacerdotum, usque ad regnum D 2 Darii

